

# **Atto costitutivo dell'Archivio storico della Curia diocesana di Verona**

## **Mons. Agostino Valier (Vescovo di Verona)**

[A margine: Erectio Archivii in superiori loco palatii]

Reverendissimi in Christo patris et domini domini Augustini Valerii episcopi Veronae decreta et leges super institutionem tabularii publici sive archivii iurium ecclesiarum civitatis et dioecesis veronensis edita anno MDLXXV nativitatis Domini, episcopatus vero sui XI.

Maximam habendam esse rationem curamque adhibendam, in conservandis publicis monumentis et scriptis, longa rerum experientia docuit, quibus rerum in foro memoria, acta et litium series iudiciorum, expeditiones, res iudicatae et coetera hominum iura continentur. Quum inde, si conservata sint, maximae plerumque in loco utilitates et publice et privatim existant, contra, si neglecta depereant, maxima detrimenta; quod, iis illesis extantibus, quasi vinculis quibusdam humana societas solita sit devinciri; dissipatis atque amissis, dirimi atque turbari. Quamobrem in omni bene instituto foro et curia locus ad tuenda publica scripta constitui solet eiusque custodiae vir quispiam spectatae fidei et probitatis praefici. Quae cum ita sint, nos, certiores facti acta et processus et haec huiusmodi quamplura et fere omnia scripta cancellariae episcopalis Veronae etiam superioribus temporibus sub praecessorum nostrorum regimine facta, partim aquarum inundationibus et alluvionibus esse deperdita, partim contra eorundem praecessorum instituta a diversis scribis episcopatus exportata et fortasse dissipata et sine ulla cura iacentia in domibus privatis apud pueros et foeminas scribarum superstites et in situ spea... et apertissimo periculo interitus esse exposita, idque non sine gravi a... cum contra morem et institutum omnium aliarum cancellariarum, [3] quae solent esse confugium et receptus antiquitatis scripturarum, nostra inanis et spoliata iaceat, cum detrimento iurisdictionis nostrae tum spiritualis tum saecularis, sublata facultate docendi de antiquo et nunquam intermisso usu eius legitimo, qui sine scriptis esse non potest. Accedit quod arcana, quae in scripturis habentur et celari maxime debent, iis huc illucque translatis, invulgantur. Quod si uno in loco servarentur, huic incommodo obviam iretur neque assidue multorum audirentur querelae qui, non reperientes iura sua in loco publico, fide et spe publica destituti et defraudati, maxima damna et molestia sustinere coguntur. Ut igitur curia nostra non minori cura hac etiam in parte regatur quam coetera civitatis nostrae Veronae atque aliarum etiam vicinarum civitatum, quarum exemplo excitati sumus, in eam sententiam devenimus ut tota res haec ex formula inferius describenda, de caetero administrentur et cetera. Quod omnes scripturae superiorum temporum et cancellanorum ac notariorum defunctorum et virorum quae in cancellaria nostra confectae fuerunt, collocentur in archivio sive publico tabulario, a nobis constituto in superiori loco episcopatus et in tali ordine disponantur ut earum notitia, cum opus fuerit, haberi commode possit. Omnes et quaecumque

scripturae temporum, tam superiorum quam praesentium et futurorum et tam ad iurisdictionem nostram spiritualement quam temporalem cuiuscumque illae sint generis, sint et intelligantur esse scripturae publicae cancellariae nostrae curiae episcopalis nec sub potestate aut nomine alicuius privatae personae esse aut nuncupari possint, licet a notariis a nobis constitutis et constituendis separatim conficiantur, sed eae omnes et singulae ad unicum caput referantur, nempe sub nomine cancellariae episcopalis Veronae, ut in omnibus cancellariis utique observari videmus. Inviolabili hoc nostro perpetuo decreto statutum sit ut, in fine cuiuslibet anni, |3| scripturae omnes generis et conditionis cuiuscumque eo anno in cancellaria nostra confecta itidem in ipso archivio collocentur; ea autem cura sit cancellarii nostri accipiendi scripta haec tam praeteritorum quam praesentium et futurorum temporum eaque intra archivium in ordinem datae in eo per eundem conservandi, hac tamen lege quod et haeredes defunctorum nostrorum et qui nunc vivunt emolumenta suorum laborum et scripturarum, adveniente casu, consequi possint. Poterunt etiam ipsi notarii, antequam scripturae per eos factae in archivio reponantur, describere ex eisdem debitores suos, ut mercedes suas a debitoribus facilius possint obtinere. Ut autem bonorum ecclesiarum diligens habeatur ratio, volumus et iubemus ut in eodem archivio, cum primum fieri poterit, cuiuscumque ecclesiae et beneficii, tam cum cura animae quam sine, intra civitatem et diocesem nostram bonorum, possessionum, livellorum, decimarum et cuiuscumque demum fructuum et reddituum diligens descriptio et anotatio conservetur. Ne vero cancellarius huic tanto oneri succumbat, volumus, mandamusque et (iubemus? - *lacerato*) ut notarii et adiutores cancellariae, tam in regimine et opificio archivii quam in aliis ad cancellariam pertinentibus necessariis administrandis, ubi et quando fuerint appellati parere et operam suam praebere studeant. Datum Veronae in episcopali residentia nostra die 15 aprilis 1575.